

10

JESVS, MARIA, JOSEPH.

VOTA, ET MOTIVA  
**REGIÆ AUDIENTIÆ**  
A PROCESSU  
**DON IGNATII**  
**D A R A.**  
*SUPER APPREHENSIONE.*

**IN ARTICULO LITISPENDENTIÆ.**

**I**N DEI NOMINE AMEN. Noverint Universi; quòd Anno à Nativitate Domini millesimo septemcentesimo quarto, die verò, quæ computabatur tricesima prima mensis Ianuarij, apud Civitatem Cæsaraugustæ, & in Camera Regij Consilij Civilis præsentis Regni Aragonum, intervenerunt Magnifici Domini DD. D. Antonius Blanco, Regens Cancellariam, D. Gregorius Xulve, D. Hieronymus Palacin, D. Antonius Gavin, & D. Michael Guerrero, Regij Consiliarij, coram quibus fuit positus Processus D. Ignatij Dara, super Apprehensione, in quo dictus Dominus D. D. Hieronymus Palacin, Relator, præmissa relatione facta per eum, & cæteri Domini de dicto Regio Consilio, necnon dictus Dominus Regens, concordes fuerunt voti, & opinionis, quòd Attent. Content. &c. tenetur, & debet pronuntiare annulationem, sive revocationem supplicatam locum non habere: Et cum his de Consilio pronuntiat, & in bonis in fine Appellitus confrontatis, mandare fieri contenta in propositione D. Ignatij Dara, Principalis Ioannis Iosephi del Frago Procuratoris, præstita cautione forali; cæteris propositionibus reiectis, reservatis iuribus, reservari suppli-

A

can-

cantibus, neutrām partium in expensis condemnando, cætera supplicata locum non habere.

Ex eo, & aliàs revocatio, seu annullatio Appellitus supplicata negatur, quia licet provisio facta fuerit in Regia Audientia, hora celebrationis illius per Magnificum Dominum Regentem Cancellariam, & in actu provisionis asseveretur, factum fuisse cum constet, & in eadem appellitum fuisse provisum, communicato Consilio, illudque non potuerit congregari, ad consulendum in dicto loco, & hora: Cùm tamen antecedenter potuerit dictus Dominus Regens cum Consilio communicare in Aula Consilij (prout fecit) in sequendo stylum in provisionibus communicatis, rectè fuit à dicto Domino Regente dictum, provisionem ab eodem factam fuisse, communicato Consilio in Regia Audientia.

Ex eo etiam, & aliàs, prout in Sententia pronuntiatur, & recipitur propositio D. Ignatij Dara, quoniam vacante Canoniciatu Ecclesiæ Metropolitanæ Cæsaraugustæ in Templo Sancti Salvatoris, per obitum Iosephi de Burgos, illius vltimi, & immediati possessoris in mense Octobris anni millesimi septemcentesimi, provisus fuit de dicto Canonicatu à Sanctissimo Domino Clemente Papa XI. dictus D. Ignatius Dara Kalendis Iunij anni millesimi septemcentesimi primi, iuxta Bullam Sæcularizationis dictæ Ecclesiæ Sancti Salvatoris, expeditam Romæ apud Sanctum Marcum anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo quarto, per bonę memorię Clementem Papam VIII. in qua, & in Bulla vnionis Ecclesiarum dictæ Urbis, in quibus Dignitatum omnium, & Canonicatum (nonnullis exceptis) prædictæ Ecclesiæ provisiones vacantium in Ianuarij, Aprilis, Iulij, & Octobris mensibus Sedi Apostolicæ reservatæ leguntur, ita ut nullus aliis, præter Romanum Pontificem, & eius Successores de dictis Dignitatibus, & Canonicatibus, occurrente vacatione in prædictis quatuor mensibus providere possit. Igitur cùm Canonicatus apprehensus in mense Octobris vacaverit, provisio eiusdem, ad Romanum Pontificem dumtaxat pertinere potest.

Neque obstant in contrarium adducta per Excellentissimum

Dominum Archiepiscopum, Doctorem Michaelem Franco de Villalva, & eius Creditorem, quorum propositiones repelluntur. Conantur isti suadere, provisionem Canonicatus litigiosi in hac vacatione ad dictum Archiepiscopum pertinere, à quo collationem dictus Michael obtinuit, quia tempore vacationis Canonicatus, ob decessum dicti Burgos in mense Octobris, Sedes Apostolica vacabat per obitum bonæ memoriarum Innocentij Papæ XII. quo casu Regulæ Cancellariæ cessant; & præsertim Regula octava, hodie nona; quia Regulæ Reservatoriæ non sunt in rerum natura; & cum Pontifice conditore sepulta iacent, & ius Canonicum reviviscit, & Episcopi Beneficia omnia tunc temporis vacantia in omnibus mensibus providere possunt; nam tunc obstacula sublata sunt, & menses omnes sunt Ordinariorum; cum enim reservatio Beneficiorum ratione temporis, & mensium solum inducatur die ipso obitus possessoris, quo die si Sedes Apostolica vacans sit, etiam si mensis in quo possessor moritur, Romano Pontifici ad conferendum assignatus sit, colatio ad Ordinarium spectat, quia vacatio Sedis Apostolicæ impedit, & excludit reservationem; qua propter cum reservatio in Bula Secularizationis contenta, sit discontinua, & contingens ratione mensium, & Canonicatus apprehensi vacatio Apostolica Sede Vacante contigerit, inde est, ut ad Ordinarium pertinere debeat.

Obiectum hoc in quo totum fere, & præcipuum fundamentum Michaelis Franco nititur disolvitur ex sequentibus. Quamvis enim per mortem Summi Ecclesiæ Præfulis cessent Regulæ Chancellariæ, & reservationes temporales mensium discontinuæ, & contingentes contentæ in eisdem, quia cum ad beneplacitum Pontificis concedantur, non potest habere beneplacitum, nec dispositionem, si eo defuncto, & Sede Pontifica vacante Beneficij vacatio contigerit. Cæterum si reservatio licet discontinua, & contingens colata reperiatur in Bulla, aut Indulto speciali cum clausulis perpetuitatem ostendentibus secus est: Cùm autem reservatio Præbendarum Ecclesiæ Cæsaraugustanæ conscripta reperiatur in speciali Clementis Octavi Bulla cum clausulis perpetuitatis, eade causa Doctores loquentes de reservatione Præbendarum dictæ Ecclesiæ

vno ore perpetuām appellant; & merito sane. Licet enim reservatio discontinua sit, & contingens, ex sui natura, clausulæ tamen in Bulla insertæ, ibi: *Quotiescumque, & quandocumque vacare contigerit sint, & eſe censeantur nostræ, & dictæ Sedis dispositioni perpetuo reservatae, ac de illis, per eamdem Sedem dumtaxat disponi possit: reservationem prædictam perpetuam faciunt.* Etenim si Clemens Octavus sibi solum prospicere, & reservare quatuor menses voluisse, illa loquēdi formula vſus eſſet, & de dispositione Sedis Apostolicæ non meminifſet: & verò cum aperte dixerit, Sedis dispositioni perpetuo reservatae sint, palam eſt, reservationem conceptam fuisse intuitu Sedis Apostolicæ plenæ, vel vacantis, nam appellatione Sedis Apostolicæ nedum Sedes plena, sed & vacans continetur, maximè adiectis adverbijſ: *Quotiescumque, quandocumque, perpetuo, & dumtaxat, quæ perpetuitatem, & tempus omne vacatio- nis amplectuntur, & ut contrarium procederet, opus erat, ut expreſ ſis verbiſ proviſio Præbendarum dictæ Ecclesiæ vacantium Sede Pontificia vacante ad favorem Ordinarij in Bulla legeretur.* Tum etiam quia reservatio facta dispositioni Sedis Apostolicæ per mortem Papæ, non extinguitur, nam Sedes Apostolica numquam deficit, imò perpetuo durat, & eſt ſicut Sol, & Luna, quæ numquam deficere poſſunt, quamdiu mundi machina ſubſiſtat, quia eſt dignitas immortalis.

Prædicta confirmantur à ratione ceſſante. Ratio enim propter quam reservations discontinuae, & contingentes ratione mensum mortuo Pontifice, ſi vacatio accidat, locum non habent, illa ſolum à Doctoribus adducitur, quoniam Regulæ Chancellariæ non ſunt perpetuae, cum ad beneplacitum Pontificis conſtituantur, & ipſius morte finiantur, qui non habet beneplacitum, nec diſpoſitionem; ratio autem illa quia Sedes Pontificia non conſervat novo Pontifici aptitudinem providendi beneficia, tunc temporis vacantia, ſilentio involvitur; proinde cum in præſentiarum, & in Bulla reservations non ſint ad beneplacitum, ſed contemplatione Sedis Apostolicæ, ceſſat penitus decidendi ratio, & perpetuae cenſeri debent, licet vacante Pontificatu acciderint. Diſcrimen adest inter Personam Pontificis, & Pontificis dignitatem; Persona moritur,

nec renascitur: Dignitas verò non moritur , est immortalis: & quamvis mortuo Papa nullus sit , qui Pontificiam iurisdictionem in Ecclesia possit exercere , remanet tamen iurisdictionis illa in iure Ecclesie, ut Pontifex aptitudine, & novo Pontifici electo communicatur.

¶ Ex antecedentibus necessario infertur, reservationes ratione mensium discontinuas , & contingentes esse ; si constituantur in Bulla, Indulto particulari temporali , cum clausula ad beneplacitum, aut alia huic simili; minime verò si in constitutione, aut Bulla perpetua ad Sedis Apostolicæ dispositionem respiciente, quia licet Sedes Pontifica vacans non habeat dispositionem , nec facultatem providendi, capacitatem tamen habet adquirendi, & conservandi facultatem providendi in Pontificatu successori. Quod sane probatur exemplo Beneficiorum in Curia vacantium, de quibus in capitulo 2. de Præbend. in 6. quæ (si non sint Beneficia Curata) etiam si Pontifica Sede Vacante obitus in Curia contigerit , affecta sunt Sedi Apostolicæ, & de illis novus Pontifex providet: igitur quod de reservationibus discontinuis, & contingentibus ratione loci procedit, idem dicendum necesse est in contingentibus , & discontinuis ratione mensium, si reservatio concessa reperiatur in Bulla, in Indulto perpetuo; quod equidem ad Bullam Ecclesie Cæsaranguistanæ maiori cum ratione aptatur, Bulla etenim cum clausulis perpetuitatis exuberantioris concessa est , quam reservatio Beneficiorum in Curia vacantium in dicto cap. 2. stabilita.

Ulterius reservatio Beneficiorum comprehensorum in concordatis nationis Germanicæ, quamvis discontinua, & contingens, quia est respectu quinque mensium Sedi Apostolicæ reservatorum; hoc non obstanti natura, & perpetuitas concordati efficit, ut reservatio locum habeat, etiam si contingat vacatio in aliquo ex dictis quinque mensibus , & successori in Pontificatu affecta manent. Cum igitur Bulla Secularizationis naturam concordati habeat, fatendum est, in vim concordati Beneficia vacantia in quatuor mensibus Bullæ Sedi Apostolicæ reservata , & affecta manere, etiam si vacatio accidat Pontifica Sede Vacante. Quod autem concordatum fuerit, vel ex eo suadetur, quia sicuti in reservatione Beneficiorum Ger-

manix intervenit Legatus à Latere Nicolai Quinti Summi Pontificis ex parte vna, & ex alia Phedericus Tertius Imperator, ita in Bulla Ecclesiaz Cæsaugustanæ intervenerunt Clemens Octavus, & Philippus primus Rex Aragonum: & Summus Pontifex non motu proprio, sed ad supplicationem Regis Catholici illam expedivit, accedēte observantia Archiepiscopi, & Capituli dictæ Ecclesiaz per longi temporis spatium, ex quo omnium consensus, & concordia resultat.

Ad hæc Regula Chancellariæ de infirmis resignantibus licet Pontificis morte finiatur (vt & aliæ Regulæ) & eius dispositio locū non habeat, si moriatur resignans intra viginti dies à die præstiti consensus numerandos, vel si mortuo iam Pontifice consensus à resignante præstitus fuerit, quia Pontificis morte regula cessat: in Galliarum tamen Regnis regula viget, quamvis consensus post obitum Papæ præstetur, vel resignans intra viginti dies moriatur, quia in Francia Regula prædicta admissa, vsuque recepta, & lege lata stabilita fuit, & hac de causa perpetuo durat, nec Pontificis morte cessat. Sane huius regulæ reservatio contingens est, quia pendet ab eventu præstiti consensus tempore Sedis plenæ, vel vacantis; vel moriendi, aut vivendi intra viginti dies: & quia in Francia lex lata fuit regula firma manet, & nullo modo cessat, quia in legem perpetuam transivit, & Princeps Secularis, vt talem admissit; igitur aquali ratione idem dicendum est, in casu de quo agitur, quia inserta est in Bulla, & constitutione perpetua, absque clausula illa beneplaciti Pontificis, imò cum omnimodo recessu à beneplacito, & regulis Chancellariæ, vt videre est à capite, usque ad Calcem Bullæ.

His accedit argumentum ab absurdo. Nam si reservatio quatuor mensium Bullæ ad favorem Pontificis procederet ad instar regulæ nonæ Chancellariæ, & vivente Pontifice tantum; sequeretur quod in quatuor mensibus Catholicæ Nostre Regi concessis, si vacante Pontificatu, vacatio accideret, sua Regia Maiestas minime præsentare posset; est ratio, quia præsentationes Canonicatum, & Præbendarum vacantium in quatuor mensibus Catholicæ Regi designatis iuxta thenorem Bullæ debent à Pontifice confirmari, & præsentati ab eodem Rege Catholicæ à Romano Pontifice institui-

debent, quod equidem Pontificia Sede vacante adimpleri non posset, quia non aderat Pontificis Persona, quæ confirmare posset, & instituere.

Facit tandem auctoritas sententiarum in hac Regia Audientia paucis ab hinc annis concordi voto pronuntiatarum in causa Thesaurariorum in eisdem terminis, & absqueulla facti mutatione, & quidem non translatiæ, sed re per dies maturata, & vigili studio. Et ex hac sententia (ut concludamus) oritur ad favorem Sedis Apostolicæ, & eius provisi ultimus status, qui quantum proficit maxime in hoc articulo possessorio ad effectum excludendi, vel admittendi provisiores, omnibus notum est, & nos non immorarum. Nonnulla alia à partibus cōtententibus non sine studio adducta fuerunt, sed quia levioris momenti à Senatu prætermissa sunt. His, & alijs.

Alius vero Regius Consiliarius fuit eiusdem voti, & opinionis, & ex eisdem motivis, sed illis addi posse censuit; Doctores in explicazione verborum, usque ad suæ voluntatis beneplacitum regulæ nonæ Chancellariorum docuisse, regulum illam non esse perpetuam, & morte Papæ conditoris spirare, quia non potest habere beneplacitum, nec dispositionem, & Sede Apostolica Vacante omnes menses esse Ordinarij, & Episcopos de illis exesse providere posse: secus verò esse si reservatio fieret dispositioni Sedis Apostolicæ, quia tunc non extingueretur per mortem Papæ, quia Sedes Apostolica numquam deficit. Si ergo in casu concreto regulæ nonæ Chancellariorum Ordinarij providere non possent de Beneficijs vacantibus in octo mensibus Apostolica Sede Vacante, si loco verborum ad beneplacitum, reponerentur verba dispositioni Sedis Apostolicæ. Cur non idem in reservatione Bullæ dicemus? Tunc sane regula noni naturam suam ammitteret, & in aliam speciem dispositionis transiret, & perpetua maneret, & Sede etiam vacante Ordinarij providere non possent de Beneficijs eo tempore vacantibus: Igitur reservatio quatuor mensium in Bulla comprehensorum, licet ex sui natura contingens sit, & discontinua, cum non sit conscripta cum clausula ad beneplacitum, sed intuitu Sedis Apostolicæ realis est, & perpetua, & successor in Pontificatu providere debet. Et ulterius quia licet in Bulla mentio de mensibus fiat, reservatio non est ratione mensium,

ut etiā animādversum invenimus, ac proinde ita debet intelligi, ac si mensium mentio facta non fuisset, & reservatio est realis, & perpetua ratione in Beneficij in Ecclesia Metropolitana fundati.

Absurdum etiam considerabat, quia sequeretur, quod si Præbenda vacaret in aliquo ex quatuor mensibus in Bulla Catholico Regi assignatis, illam presentare non posset. Quoniam si in quatuor mensibus Sedi Apostolicæ reservatis Ordinarius providere debet, si vacatio eveniat Pontificatu vacante, quia tunc reservatio extinguitur, utpote inserta in Bulla temporali ad instar regulæ nonæ, cuius reservatio non egreditur ultra vitam Papæ: ergo æque idem afferendum foret respectu quatuor mensium Domino Nostro Regi concessorum, nam isti concessi sunt in eadem Bulla temporali, quorum reservatio ultra Pontificies debet effectum habere non posset. Cum enim Clemens Octavus, sibi octo menses reservasset, si reservatio esset temporalis, & restricta ad vitam Pontificis, ut contenditur, quatuor ex illis Regi Catholico attributi eadem reservatione affecti transirent in Regem, & eiusdem naturæ, & conditionis essent, ac quatuor menses Pontifici reservati. His, & alijs, &c.

*SIG + NV M mei Alberti Jubero, Secretarij pro sua  
Maiestate Regiae Audientiae præsentis Regni Aragonum,  
& in Civitate Cæsaraugusta domiciliati, qui huiusmodi  
Vota, & Motiva à Libro motivorum de anno millesimo  
septingentesimo quarto, ubi continuata existunt, extraxi,  
comprobavi, & signavi.*